

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6653

Auteur(s) : Étienne de Blois, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Henri II Plantagenêt, Normandie (duc)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1153, 6 novembre

Lieu d'émission : Westminster

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Traité par lequel Étienne, roi d'Angleterre, reconnaît Henri, duc de Normandie, pour son successeur et son héritier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° LVI*, t. 1, p. 61-65.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 62.

Texte établi d'après a

Stephanus, rex Anglie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, justiciariis, vicecomitibus, baronibus, et omnibus fidelibus suis Anglie, salutem.

Sciatis quod ego rex Anglie Stephanus Henricum ducem Normannie post me successorem Anglie regni et heredem meum jure hereditario constitui, et sic ei et heredibus suis regnum Anglie donavi et confirmavi. Dux vero, propter hunc honorem, et donationem et confirmationem sibi a me factam, homagium mihi et sacramento securitatem fecit, scilicet quod fidelis mihi erit, et vitam et honorem meum pro suo posse custodiet per conventiones inter nos prelocutas, que in hac carta continentur. Ego etiam securitatem sacramento duci feci quod vitam et honorem ejus pro posse meo custodiam, et sicut filium et heredem meum in omnibus, in quibus potero, eum manutenebo, et custodiam contra omnes quos potero. Willielmus autem filius meus ligium homagium et securitatem duci Normannie fecit, et dux ei concessit ad tenendum de se omnes tenuras quas ego tenui, antequam regnum Anglie adeptus essem, sive in Anglia, sive in Normannia, sive in aliis locis ; et quicquid cum filia Warennie comitis accepit, sive in Anglia, sive in Normannia, et quicquid ad honores illos pertinet ; et de omnibus terris, et villis et burgis, et redditibus, quos dux in dominio suo nunc habet, et nominatim de illis que pertinent ad honorem comitis de Warennia, Willielmum filium meum et homines illius, qui de honore illo sunt, plenarie saysiet, et nominatim de castello de Belencumbre et castro Mortui Maris, ita scilicet quod Reginaldus de Warennia castrum de Belencumbre et castrum Mortui Maris custodiet, si voluerit, et dabit inde duci obsides ; si vero noluerit, illi de ligiis hominibus comitis de Warennia, quos dux voluerit, similiter per salvos obsides et salvam custodiam eadem castra custodient. Alia vero castra, que pertinent ad comitem Moretonie, dux ei reddet ad voluntatem meam, cum poterit, per salvam custodiam

et per salvos obsides, ita quod omnes obsides reddantur filio meo quiete, quando dux habebit regnum Anglie. Incrementum etiam, quod ego Willielmo filio meo dedi, ipse dux ei concessit, castra scilicet et villas de Norwico cum septingentis libratibus terre, ita quod redditus de Norwico infra illas septingentas libratas computentur ; et totum comitatum de Northfolk, preter illa que pertinent ad ecclesias et episcopos et abbates et comites, et nominatim preter tertium denarium, unde Hugo Bygotus est comes, salva et reservata in omnibus regali justitia. Item, ad roborandam gratiam meam et dilectionem, dedit ei dux et concessit omnia que Richerus de Aquila habebat de honore Peveneselli. Et preter hoc castrum et villam Pevenesselli et servitium Faramusi, preter castrum et villam de Dovre, et quod ad honorem de Dovre pertinet, ecclesiam de Fauresham cum pertinentiis suis dux confirmavit, et alia aliis ecclesiis a me data vel reddita consilio sancte Ecclesie et meo confirmabit. Comites et barones ducis, qui homines mei nunquam fuerunt, pro honore quem domino suo feci, homagium et sacramentum mihi fecerunt, salvis conventionibus inter me et ducem factis ; ceteri vero qui antea homagium mihi fecerant, fidelitatem mihi fecerunt sicut domino. Et si dux a premissis recederet, omnino a servitio ejus ipsi cessarent, quousque errata corrigeret ; filius meus etiam, secundum consilium sancte Ecclesie, se inde contineret, si dux a predictis recederet. Comites etiam et barones mei ligium homagium duci fecerunt, salva mea fidelitate quamdiu vixero et regnum tenuero, simili lege quod si ego a premissis recederem, omnino a servitio meo cessarent, quousque errata corrigerem. Cives etiam civitatum, et homines castrorum, que in dominio meo habeo, ex precepto meo homagium et securitatem duci fecerunt, salva fidelitate mea quamdiu vixero et regnum tenuero ; illi autem qui castrum Walingeford custodiunt homagium mihi fecerunt, et dederunt mihi obsides de fidelitate mihi servanda. Ego vero de castris et munitionibus meis securitatem talem duci, consilio sancte Ecclesie, feci, ne dux, me decedente, per hoc dampnum aut impedimentum regni incurrat. Etiam turris London[iensis] et mota de Windsor[es], consilio sancte Ecclesie, Ricardo de Luceio ad custodiendum tradite sunt ; Ricardus autem de Luceio juravit in manu archiepiscopi, et in custodia filium suum obsidem dedit, quod post meum decessum castra predicto duci redderet. Similiter consilio sancte Ecclesie Rogerus de Luceio motam de Oxoneford, et Jordanus de Busseio firmitatem Lincolnie custodiunt, et ligii homines ducis sunt, et juraverunt, et obsides inde dederunt in manu archiepiscopi, quod si ego decederem, duci munitiones sine impedimento redderent. Episcopus Wintoniensis in manu archiepiscopi Cantuariensis coram episcopis affidavit quod, si ego decederem, castrum Wintonie et munitionem Hamptonie duci redderet. Quod si aliquis eorum, quibus munitionum custodia commissa fuerit, moreretur, aut a custodia sibi deputata recederet, consilio sancte Ecclesie alius custos ibi statueretur, postquam ille recederet. Si vero aliquis de hiis, qui meas munitiones custodiunt, contumax vel rebellis fuerit, de castris scilicet que ad coronam pertinent, communi consilio ego et dux nos inde continebimus, donec ad voluntatem utriusque cogatur satisfacere. Archiepiscopi, episcopi atque abbates de regno Anglie ex precepto meo fidelitatem sacramento duci fecerunt. Illi quoque, qui in regno Anglie deinceps fient episcopi vel abbates, idem facient. Archiepiscopi vero et episcopi, ab utraque parte, in manu ceperunt quod, si quis nostrum a predictis conventionibus recederet, tamdiu eum ecclesiastica justitia cohercebunt, quousque errata corrigat, et ad predictam pactionem observandam redeat. Mater etiam ducis, et uxor, et fratres ipsius ducis, et omnes quos ad hoc applicare poterit, hec assecrabit. In negotiis autem regni ego consilio ducis operabor. Ego vero in toto regno Anglie, tam in parte ducis quam in mea, regalem justiciam exercebo.

Testibus hiis: Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo, Henrico Wintoniensi, Roberto Exoniensi, Roberto Bathoniensi, Jocelino Sarresberiensis, Roberto Lincolnensi, Ylario Cicestrensi, Willielmo Norwicensi, Ricardo Londoniensi, Nigello Heliensi, Gyleberto Herefordensi, Waltero Cestrensi, Waltero Roffensi, Galfrido de Sancto Asaph episcopis, Roberto priore de Beremundeseye, Otone milite Templi, Willielmo comite Cestrensi, Roberto comite Legecestrensi, Willielmo comite Gloucestrie, Regin[aldo] comite Cornwall[ie], Baldewino comite Devonie, Rogero comite Herefordie, Patricio Sarr[esberiensis], Willielmo de Alba Marla, Alberico comite, Rogero comite de Clara, Ricardo comite de Penbroc[ia], Ricardo de Lucy, Willielmo Martel, Richardo de Humez, Reginaldo de Waren[nia], Manasser[o] Biset, Johanne de Norwic., Ricardo de Camvilla, Henrico de Essex.

Apud Westmonasterium.